

dictum) per suum verbum sive lectum sive auditum, ut docet Apostolus: *Quomodo, inquit, invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audiverunt? Quomodo autem audient absque predicante? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per verbum Rom. X, 14. 17.* qui ea de causa etiam dicit, *se in Christo Jesu per Evangelium Corinthios genuisse I. Cor. IV, 15.* quemadmodum & Petrus: *per sermonem viventis Dei & manentis in aeternum credentes dicit esse renatos. I. Petr. I, 23.* Atque Jacobus affirmat *DEum ipsum eos progenuisse verbo veritatis. Jac. I, 18.* Etenim verbum Dei præter vim significandi ac repræsentandi res significatas, quam cum omni verbo ac doctrina communem habet, est etiam potentia Dei ad salutem omni Credenti *Rom. I, 16.* Unde Paulus dicit. *Evangelium nostrum fuit erga vos non per sermonem solum, sed etiam per virtutem & Spiritum S. I. Thessal. I, 5. & cap. II, 13.* Quapropter & nos gratias agimus Deo indefinenter, quod, cum accepistis sermonem à nobis, quo DEum disceratis, accepistis non sermonem hominum, sed (sicut erat verè) sermonem DEI, qui & agit in vobis credentibus. In quam rem bene quoque Augustinus de prædest. Sanct. cap. 19. Quid est, quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agat de hoc, quod ipse non fecit; ut cum percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud non ut verbum Dei. DEus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de quo multum locuti sumus, ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant, excipientes non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. Præterea non persuadet & movet hominum animos verbum Dei ad sectanda spiritualia & supernaturalia spirituali cultu & ornatu orationis, aut sententiarum gravitate, argumentorumque

rumque